

unionem effectus ipse comitans talem unionem.

LV. Ad confirmationem respondetur, quod in aliis qualitibus activis, activitas propriæ operationis non addit aliquid supra actualitatem: si vero elevetur aliqua forma ad operandum ultra id, quod ex se potest, indiget aliqua elevatione, seu conjunctione ad superius agens, ratione cujus possit ultra propriam activitatem operari. Cum autem gratia non sit de se meritoria de condigno pro aliis, sed solum pro se, indiget, ut inquit D. Thomas, eminentia quadam supra id in quo agit; et hæc eminentia superaddi debet gratiæ habituali, ut possit esse activa ad derivandum gratiam in alios, quia ex se talem eminentiam non habet: neque est necesse, quod modus habendi istam eminentiam, sicut unio, sit ipsa ratio agendi, sed modificatio ad agendum.

LVI. Ad ultimum quod est contra tertiam conclusionem respondetur, quod etsi absolute loquendo, instrumentalis operatio non constituat caput, neque simpliciter ad id requiratur, pertinet tamen ad melius esse, et ad excellentiam capitis in Christo, ut sit instrumentum conjunctum physice derivans gratiam, habetque magnam convenientiam, ut sicut caput est pars præcipua organica corporis, ita Christus instituat per hoc, quod sit instrumentum organicum Verbi, licet absolute possit esse redemptor, et satisfactor, atque adeo caput sine tali instrumentali influxu. Neque hoc est recurrere ad gratiam unionis, quia etiam instrumentum conjunctum non convenit ipsi gratiæ unionis, sed convenit gratiæ habituali unitæ: gratia enim unionis non supponit pro ipsa humanitate, et gratia habituali ejus, etiam ut unita, sed pro ipso esse personali, et

hypostatico, quod gratis unitum est humanitati, et ideo ipsa vocatur gratia unionis, non humanitas.

#### ARTICULUS II.

*Utrum Christus sit caput omnium hominum etiam in statu innocentiae?*

I. Distinxit S. Thomas in articulo tertio sex status hominum quos reduximus ad tres. Nam alii aliqualem Christi influxum admittunt in vita spirituali, sive perfectissime in gloria, sive perfecte in gratia, sive imperfecte in fide, quæ est actuale initium justificationis; alii sunt in potentia membra Christi, sive reducenda in actu aliquando, sive non; alii denique omnino sunt extra omnem influxum Christi vitalem, tam in actu, quam in potentia, qui sunt damnati, et dicuntur non esse in potentia membra Christi ratione status æternæ damnationis, qui status, neque mediate, neque immediate capax est influxus Christi, neque ad illum aliquo modo ordinatur, sed perpetuo deordinatur ab illo; ex vi talis status incurrit homo incapacitatem recipiendi influxum vitæ, tamquam mortuus sempiternus. Quæ conclusio extenditur ad pueros existentes in limbo, vere enim sunt damnati pœna damni.

II. De viatoribus, post statum peccati, Christum Dominum certissimum est esse caput omnium hominum, licet non eodem modo omnium; sicut neque caput naturale eodem modo influit in omnia membra, sed aliquorum est caput in potentia, et quoad sufficientiam; aliorum etiam in actu, et efficaciter, quia pro omnibus mortuus est. Quod tamquam de fide tenendum est, ut constat pluribus in locis sa-

cræ Scripturæ. Intellego autem nomine omnium hominum, etiam infantes nondum natos, de quibus aliqui dubitant, an sint existimandi membra Christi, eo quod in uteris maternis non sunt capaces alicujus influxus Christi; neque est institutum aliquod remedium applicabile ipsis pro illo statu. Sed omnino dicendum est illos esse membra Christi in potentia, pertinereque ad ejus universalissimam redemptionem, quia pro illis mortuus est, et sub ejus potestate continentur. Id enim indicant illa verba Joannis xvii: *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis*, nomine ly carnis intelligitur omne animatum anima rationali; de illo enim verificatur, quod sit caro; et infantes in maternis uteris jam inchoative pertinent ad vitam viatorum, et consequenter ad vitam salvandorum; viatores enim salvari possunt: ergo jam in illo statu respiciunt salvatorem.

III. Constat etiam infantes in uteris maternis sanctificari posse per Christum, licet extraordinario modo, sicut Joannes Lucæ x, dum exultavit in utero ad Christi adventum: et fortasse alii sanctificati sunt, quos ignoramus. Denique, licet infantes intra maternum uterum, non sint immediate capaces remedii, quod ministerio hominum, et mediis sacramentis ministratur, sunt tamen capaces mediate, quia extrahi, vel expediri potest infans, et sic recipere remedium Christi, et auxilia extrinseca protectionis per Angelos. Habet ergo capacitatem, ut fiat membrum Christi, licet impeditum, impedimento tamen absolute amovibili. Esse autem potentiam impeditam ad suscipiendum baptismum non tollit, quin sint membra Christi, alioquin multi homines non possent dici membra Christi in potentia, quia sunt impediti, vel vatissimo mari, vel

aliquo terrarum impedimento, ne ad illos perveniant ministri evangelii.

#### DE STATU INNOCENTIÆ.

IV. Tota ergo difficultas in hominibus reducitur ad statum innocentiae. Pater Suarez disp. xxiii, sect. i sentit, quod Adam pro illo statu fuit membrum Christi. Primo, ex auctoritate, quia D. Thomas in articulo tertio resolvit, quod Christus est caput omnium hominum, accipiendo generaliter secundum totum tempus mundi: ergo comprehenditur etiam tempus status innocentiae, qua generalitate etiam loquitur super Joannis caput primum, lect. x, dicens: « Quod de plenitudine ejus acceperunt omnes justii, qui fuerunt, sunt, et erunt, et etiam omnes Angeli: » et infra: « Quod plenitudo gratiæ, quæ est in Christo, est causa omnium gratiarum in intellectualibus creaturis: » et similiter Augustinus: « Caput nostrum Christus est, corpus capitis illius nos sumus. Numquid soli nos, et non etiam illi, qui fuerunt ante nos? Omnes, qui ab initio sæculi fuerunt justii, adjunctis etiam legionibus, et exercitibus Angelorum, etc. » ubi ponderandum est, quod Augustinus et D. Thomas generaliter loquuntur, non solum de personis, sed etiam de temporibus, dicendo ab initio sæculi, et per totum tempus mundi, in qua generalitate temporis necessario comprehenditur status innocentiae.

V. Deinde etiam ratione, quia Adam ante peccatum habuit fidem de Christo, non ut redemptor, sed ut consummator gloriæ, ut est expressa sententia D. Thomæ 2-2, quæst. ii, art. vii, habuit influxum vitæ, non minus quam fideles post peccatum: fides enim Christi non

potest esse nisi per Christum, si quidem credidit in eum, et habuit illum pro fine: ergo dicendum est, quod tunc fuit Adam membrum Christi, utpote participans actualiter influxum ab ipso.

VI. Et potest fortiori argumento fundari hæc sententia: Quia gratia Adami etiam pro illo statu, erat gratia ordinata ad gloriam secundum se, sive durante illo statu esset consequenda, sive extra illum; sed tamen adhuc durante illo statu, vere erat jus ad gloriam, et ordinata ad gloriam; ergo subordinata prædestinationi: ergo Christo; nam Christus est causa nostræ prædestinationis in omnibus prædestinatis, ut tradit expresse D. Thomas infra quæstione xxiv, articulo quarto.

VII. Dices: Illa gratia pro illo statu non ordinabatur efficaciter ad gloriam, quia non erat in statu in quo erat transmittenda efficaciter ad illam: ergo nondum pertinebat ad causalitatem, et prædestinationem Christi.

VIII. Sed contra, quia licet in illo statu non esset consecutiva gloriæ, erat tamen tunc reparabilis in alio statu, et in illa reparatione consecutiva gloriæ; sed hoc sufficit ut dicatur subordinari prædestinationi; ergo. Minor probatur, quia in prædestinato, qui amittit primam gratiam, illa gratia amittenda subjicitur prædestinationi, licet non sit consecutiva gloriæ, nisi prout reparanda; et tamen non solum in statu reparationis, sed etiam pro primo statu esset effectus prædestinationis: ergo similiter gratia status innocentie, si efficaciter erat consecutiva gloriæ in sua reparatione, etiam pro primo statu erat effectus prædestinationis.

IX. Denique confirmatur hæc sententia, quia Christus est finis illius status innocentie; ergo et caput. Consequentia patet, quia in tantum

est finis in quantum habet aliquam prioritatem, et perfectionem, imo et causalitatem super id, quod tali fini subordinatur; istæ enim sunt conditiones capitis assignatæ a D. Thoma. Antecedens probatur, quia omnia, quæ de facto creata sunt, tam in esse naturæ, quam gratiæ sunt ordinata ad Christum, et illi subjecta: ergo et ille status. Hæc est enim illa consequentia Pauli ad Hebræos ii, ubi citans illud Psalmi xiii: *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, etc.* quod intelligit de Christo, subdit: *In eo enim quod omnia ei subjecit, nihil dimisit non subjectum ei*, ubi S. Thomas lect. ii ait: « Omnia non est distributio accommodata ad aliqua genera, sed absolute ad omnia, quia omnia generaliter, et universaliter sunt subjecta ei, » et fortius i ad Corinthios xv inquit Paulus: *Cum dicat omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjecit ei omnia,*, ubi illa exceptio firmat regulam in contrarium, quod præter Deum nihil est, quod non est sit subjectum Christo; sed status innocentie erat aliquid præter Deum; ergo fuit Christo subjectus.

X. Et præterea, ut Christus sit caput Angelorum sufficit, ut mereatur eis præmia accidentalia, et non gratiam; ergo similiter hoc sufficiet ut sit caput hominum, licet gratiam eis non contulerit. Consequentia tenet a paritate.

#### RESOLUTIO DUBII.

CHRISTUS NON MERUIT GRATIAM STATUS INNOCENTIE, FORMALITER CONSIDERATAM.

XI. Supposita doctrina superius tradita quæst. i, art. iii, disput. iii, supra art. ii ad tertium, de Christi Domini prædestinatione, ut redemptor, dicendum est, ex vi præsentis

decreti non fuisse Christum caput status innocentie de facto. Quæ sententia frequentior est inter Thomistas. Illam docet magister Alvarez libro de auxiliis, disp. iv; magister Soto lib. i de natura et gratia, cap. xxvi, et plures citat Vazquez hic disp. xii, cap. ii; Asturicensis etiam, qui absolute tenet gratiam illius status fuisse per Christum, et illius esse caput; tamen accipiendo illam gratiam formaliter, et ut subest illi statui, docet non esse per Christum, ut videri potest quæstione vi, conclusione v, pagina 769. Ratio efficax, et fundamentalis est, quia sive Christus veniret non peccante Adamo, sive non veniret, tamen de facto ex vi præsentis decreti nulla gratia est a Christo ut capite, quæ non sit etiam ab ipso ut redemptore, et per ejus subjectionem, ac mortem derivata; sed sanguis, et passio Christi non pertinuit ad statum innocentie, dicente Augustino in libro de correctione et gratia, cap. xii: « In illis bonis Adam Christi mortem non eguit; » ergo neque gratia illius status fuit a Christo ut capite.

XII. Ad hoc fundamentum duplex excogitatur effugium. Primum, quod Christus, non solum ut redemptor per mortem, sed etiam ut consummator gloriæ per alia merita contulit gratiam, sicut affirmant illi, qui defendunt Angelos fuisse justificatos ex meritis Christi, et tamen Christum non fuisse mortuum pro illis, neque eos redemisse, ut sequenti articulo videbimus: ergo similiter hoc poterit applicari gratiæ status innocentie.

XIII. Secundo, dicunt gratiam illam, licet sub formalitate status innocentie non fuerit per Christum, tamen entitative, et absolute per Christum fuisse, etiam in illo statu, licet ut reparanda pro alio.

XIV. Cæterum prima solutio multiplicat, non solvit inconvenientia.

Qui enim tenent Christum non fuisse mortuum pro Angelis, si consequenter loquuntur, debent dicere, quod non meruit illis gratiam, et gloriam essentialem, si quidem Christus consummavit omne meritum morte sua pro his, quos sanctificavit, dicente Paulo ad Hebræos x: *Una oblatione consummavit in æternum sanctificatos*, ergo quicumque sanctificatus est per Christum, illa una oblatione sanctificatus est, aut si ab illa deficit, a sanctificatione Christi extraneus est: et idem insinuat locus ille Isaie lmi: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur*. Cum ergo voluntas sit sanctificatio nostra, ut loquitur Paulus, si ad dirigendam voluntatem Dei in manu Christi fuit necessaria illa conditio ponendi animam suam; ergo omnis sanctificatio per Christum non est data, nisi per mortem ejus.

XV. Et ad hoc adjuvat satis efficax convenientia, nam perfectissimum, et efficacissimum meritum Christi ex genere operis fuit passio, et mors ejus, quia in ea completum est totum pondus charitatis, dicente ipso Joannis xv: *Majorem charitatem, etc.* et Paulus Romanor. v: *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum peccatores essemus secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est*. Super quem locum D. Thomas: « In hoc, inquit, quod dicit commendat, immensitatem quamdam divinæ charitatis assignat. »

XVI. Si ergo mors Christi fuit opus perfectissimæ charitatis, et ideo omne meritum in illa consummatum est tamquam in perfectissimo opere, quod est finis cæterorum; si ista tanta charitas non se extendit ad merendum pro statu innocentie, quomodo existimandum est aliis operibus inferioribus voluisse illam

gratiam mereri, perfectissimum autem opus voluisse ab illa excludere. Unde passioni Christi tradimus excellentiam universalissimæ influentiæ in gratiam, dum ab illa subtrahimus meritum pro aliquo genere gratiæ, quod aliis operibus Christi assignamus; quod certe cum ex mera Dei voluntate dependeat, judicare de illo, sine aliqua revelatione sanctæ Ecclesiæ, vel sensu, aut urgentissima ratione, temeritate non vacat.

XVII. Contra secundam autem solutionem instatur: Quia implicat considerare Christum ut redemptorem, et causalitatem ejus ut redemptivam, nisi pro supponendo lapsum peccati; ergo illa gratia status innocentiae, etiam entitative considerata, si ponitur ante lapsum peccati, non est a Christo per causalitatem, et efficaciam redemptivam, ac per hoc implicatio est in terminis dicere, quod gratia entitative sit per Christum, ut reparanda post lapsum, quia sic non est per Christum, nisi ut reparantem, et ut redemptorem; ergo pro illo statu, in quo consideratur entitas gratiæ, ut nondum reparata actu, nondum est actu per Christum, sed consideratur ut futura per Christum in statu reparationis. Si autem consideratur illa gratia, ut subsequitur lapsum, jam non est gratia innocentiae, sed pœnitentiæ; ergo sub statu innocentiae, non solum formaliter non pertinet ad Christum, sed neque etiam entitative, sicut magister Vincentius vult: ergo sub statu innocentiae Christus non est caput gratiæ, sed solum ut induit alium statum.

XVIII. Et confirmatur, quia non potest intelligi influxus Christi de facto in entitatem gratiæ, abstrahendo ab omni statu; imo si talis abstractio fiat, jam non pertinet ad hanc quæstionem, in qua non inquirimus, an Christus influat gratiam

entitative consideratam præscindendo ab omni statu, sed determinatam, ut invenitur de facto in statu innocentiae, sed si entitas gratiæ consideratur in statu innocentiae, habet obstaculum, et repugnantiam influxui per Christum ut redemptorem: ergo in illo statu Christus ut redemptor non influit in entitatem illius gratiæ, etiam ut reparandæ.

XIX. Minor probatur: Christus ut redemptor, et ut de facto influens, non intelligitur in omnium sententia, decretatus a Deo, nisi supposita permissione peccati; licet enim sit diversitas opinionum, an efficacia decreti uniendi Christum absolute se extenderet ad utrumque statum, tamen ut de facto redemptor, sub hac reduplicatione, et quantum ad causalitatem ut redemptivam, in nulla sententia extenditur decretum, nisi ad statum naturæ lapsæ. Si ergo Christus ut redemptor non est decretatus, nisi supposita permissione lapsus; ergo ut redemptor non intelligitur influens in entitatem gratiæ, ut accipientem esse per talem influxum in statu antecedenti lapsus.

XX. Neque obstat intelligere tunc illam gratiam ut reparandam pro alio statu, quia gratia ut reparanda de futuro non dicit ordinem ad redemptorem de facto influentem per causalitatem redemptivam, sed ut influxurum de futuro: ergo ex hoc quod gratia illa consideratur ut reparanda de futuro, solum intelligitur ut habenda per Christum futurum, non autem ut de facto existens per Christum: ergo implicat tunc de præsentem, et in facto esse Christum caput illius status, et gratiæ, sed ut caput futurum pro alio statu. Præsertim, quia gratia ut reparanda, est gratia ut non duratura in statu innocentiae, sed interrupta; illa autem interruptio destruebat statum innocentiae: ergo di-

cere, quod Christus influebat in illam in statu innocentiae, ut interrumpendam, est dicere, quod influebat in illam in statu innocentiae sub status innocentiae destructione, et tunc ille influxus conservaret, et manuteneret statum innocentiae, et conservaret illum sub ratione non conservandi, quod est plane contradictorium.

XXI. Neque est timendum, quod cedat in minorem excellentiam Christi, nam si ipse dicit de se: *Quod non est opus bene habentibus medico, sed male habentibus*: et iterum: *Non veni vocare justos, sed peccatores*, quid nos putamus addituros esse excellentiæ Christi, si dicamus ejus excellentiam in hoc consistere, quod velit vocare omnes peccatores, sed etiam justos, et quod non solum male habentibus, sed bene habentibus fuit opus medico.

XXII. Sed adhuc objicies: Christus Dominus in quantum caput Angelorum influit in illos spiritualia dona pertinentia ad accidentalem gloriam; et tamen meruit illa dona, non per sanguinem suum, neque per passionem suam; ergo non est inconueniens, quod etiam gratiam meruerit, et illa dona per mortem suam; ergo jam incidimus in inconueniens, quod volebamus vitare, scilicet, quod Christus mortuus est pro Angelis, si quidem per mortem suam meruit illis dona, quæ habent per ejus mortem: atque adeo vere possemus dicere, quod mortuus est pro Angelis tamquam pro membris suis: ut ergo vitemus hoc inconueniens necesse est dicere, quod aliquid meruit Angelis non per suam mortem; ergo similiter dicemus de primis parentibus.

XXIII. Respondetur primo, quod etiamsi demus Christum meruisse Angelis dona accidentalialia gratiæ, et meruisse illa per suam mortem, non tamen est concedendum, quod mor-

tuus est pro Angelis, quia solum est mortuus pro illis, quibus dedit vitam, juxta illam consequentiam Pauli II Corinthiorum V: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*: unde sæpe infert Augustinus Christum solum esse mortuum pro mortuis; dona autem accidentalialia gratiæ non dant vitam gratiæ, sed supponunt; ergo licet illam meruerit Christus per suam mortem, non tamen sufficit ut dicatur mortuus pro Angelis.

XXIV. Respondetur secundo, quod revera Christus non habet influentiam per meritum in Angelos, sed per actiones physicas, vel secundum influxum instrumentalem, vel secundum illuminationem, eo modo, quo superior Angelus alium illuminat, et docet. Utrumque expressit sanctus doctor. Hoc idem ultimum in III, dist. XIII, quæst. II, artic. II, quæstiuncula I: « Non influit, inquit, Angelis removendo prohibens (id est, tollendo peccatum) nec merendo gratiam, aut orando pro eis, quia jam beati sunt; sed in his, quæ ad actus hierarchicos pertinent secundum quod unus Angelus alium illuminat, purgat, et perficit. »

XXV. Primum vero docet in præsentem articulo quarto ad tertium, dum dicit: « Quod Christi humanitas ex virtute spiritualis naturæ (scilicet divinæ) potest aliquid causare non solum in spiritibus hominum, sed etiam in spiritibus Angelorum, propter maximam conjunctionem ejus ad Deum, scilicet, secundum unionem personalem. » Nusquam autem S. Thomas meminit de merito Christi respectu Angelorum, nec docuit, quod solum pro accidentalibus gaudiis tantus sanguis funderetur, licet indirecte ex eo quod meruit hominibus gratiam, et gloriam, et sibi exaltationem consecutum sit in Angelis gaudium, quasi proposita materia, et objecto gaudii. Respectu au-